

quam iam latere potest, quemcunque ille locum in senatu obtineat, aut quocunq; in eum tempore receptus sit; parem ipsi ex legū præscripto, cum regni Marscalco, si ille absit, auctoritatem competere.

Quod ad præmittendos legatos, ante aduentum suæ M<sup>ris</sup> in regnum attinet, præterquã quòd id factum esse iam memoria iis excidisse videretur, qui omnia odiosè ad vnguem reserant, & omnia carpere in animum induxerūt, illud responderi potest; eo loco natam atque educatam esse regiam M<sup>tem</sup>; vt, quid dignitatis suæ fuerit, quæ hoc tempore postulauerint, per se satis intellexerit; vt nullo aut monitore, aut magistro opus habuerit.

De armato comitatu, illud ipsum breuiter repeti potest, quod legati M<sup>ris</sup> regis ostenderunt, armatos istos nō ad vim inferendam, sed propulsandam adductos esse: idque honoris potius & officij, quàm bellandi causa: quum tantum principem nudum, atq; penitus incriminatum, in hoc regnum progredi non decuerit.

Ab om-

Ab omni autem vi in hunc diem M<sup>tem</sup> regiam se, suosq; cohibuisse, etiamsi sæpenumerò lacessita fuerit, vel illud ostendit, quòd tot septimanas, penè in otio fuerit: & ad moderata ac pacifica consilia, toto animo incubuerit: patienter, & paterno planè affectu, interea expectando; si fortè ij, qui tam obstinatè, ac sine vlla causa M<sup>ris</sup> suæ reluctantur, ad officium reuocari possent. Poterat certè M<sup>ris</sup> sua, Dei auxilio, & Cracouiam, & alia loca interea expugnare, & diuexare; sed pietati & bonitati suæ consentaneum esse iudicauit, omnia prius experiri, quàm ad hæc talia remedia descendere, quibus vsus esse solet, contra pertinaces, & patriæ publicæque salutis hostes.


Illud autem, quod ab aliquo impudentissimo homine confictum, & in hoc scriptum, ad quod nunc responderetur, temerè coniectū est, submissum scilicet aliquem fuisse, qui etiam supplicio affectus fuerit, qui aliquã vrbis partem incenderet, tam est putidum, tam ab omni veritate, atque adeò à M<sup>ris</sup> suæ bonitate alienum; vt refutatione nulla indigeat.

B 2

Quum

ord. reg Crac. MDLxxvij


1577







1602



# SCRIPTA

inter sereniss. principem  
Archiducem Maximilianum,  
&c. & ordines regni Cracoviæ  
congregatos, posteriora.

C R A C O V I A E,

In Officina Lazari, Anno Domini,

M. D. Lxxxvij.





XVI, 8° - 119

1262 1984

9

CRISTO VIVAT

In Officina Typographica, Anno Domini

M. D. LXXVII

48/11121

# SCRIPTVM SERENISS.

*Archiducis Maximiliani nomine, die xx.  
menſ. Nouemb. Cracouiam allatum.*

Ad ſcriptum quoddam ſtatuum at-  
que ordinum quorundam, hoc tē-  
pore Cracouiæ congregatorum,  
per tubicinem Mogilam allatum,  
breuis reſponſio.

S Acra regia M<sup>tas</sup> &c. Dominus noſter cle-  
mentiffimus, ad ſcriptum quoddam per  
tubicinem allatum, ſic reſponſum eſſe voluit.  
Ac primùm quidem, de electionis ſuæ iure ali-  
enum eſſe cenſet amplius contendere; quum  
de eo ſatis iam ſuperque conſtet paſſim, non  
iſtis tantùm Polonis & Lithuanis, qui iſtis e-  
lectionis comitiis interfuerunt, ſummis ac no-  
biliffimis viris, atq; omnis generis hominibus  
aliis; ſed iis etiam, qui longè abfuerunt, & quæ  
ibi publicè ac priuatim geſta ſunt, auditione  
acceperunt.

De loco ipſo, non lubet iuueniliter cauil-  
lari; quum neminem iam lateat id, quod an-

te hac quoq; in priore M<sup>ris</sup> suæ responso satis ostensum fuerat; intra illius campi amplitudinem, de quo in hoc scripto agitur, certum quendam & definitum fuisse locum, suisq; terminis circumscriptum, paceq; publica constabilitum, & consensu omnium firmatum; atq; ad hunc vnum eligendi regis actum solenniter consecratum: extra quē nullus legitimè rex nominari aut potuit, aut debuit.

Quo ipso argumento, cū illis comitiis, quib. rex Stephanus electus est, tanquā totius suæ causæ atque electionis firmissimo fundamento innixi fuerint illi, qui diui Maximiliani Cæsaris, suæ M<sup>ris</sup> parentis, electionem impugnârunt; mirum sanè nunc videri queat, nullā hoc tempore illos ipsos in eodem argumento vim statuere, sed id prorsus reiicere.

Idem de D. Archiepiscopi nominatione ferè dici potest: cuius si tanta, tam necessaria in nominatione authoritas ac potestas est; cur Diui Maximiliani, quem Archiepiscopus publicè, de sententia omnium, regem dixerat, electionem repudiârunt, & contra Bathorium aduocârunt; qui non ab Archiepiscopo, sed ab vno ex nobi-

litate

litate nominatus fuit ? sed huius generis exempla alia quoq; peti ex historijs huius gentis possunt, quæ illi ipsi in Bathoria electione sua ad dictæ nominationis suæ cōfirmationem citârunt ; & nota in vulgus etiam ita sunt ; vt superuacaneum sit , ea commemorare ; vt illud etiam obiter dicatur , nullam vnquam vllius regis , aut cuiusuis alterius principis electionē aliter , quàm vno loco certo ac definito , ad eā rem loco , & tempore eligi solitum fuisse , non apud christianos tantum , sed apud omnes omnium religionum homines.

Quod autem adfertur de eorum accessione , qui post electionis comitia , varijs artibus , ad factionem suam pertracti sunt , idem , quod antea responderi potest ; nullum ius eligendi regis , extra illa vniuersalia comitia , nullum amplius locū , nullū tempus præscribi potuisse.

De Lithuanorum paucitate , quæ dicuntur ab iis , qui præsentibus fuerunt , refelli verè possunt . Mirum autem est , id ab eis obiici , qui nullum senatorem , nullum in sua tumultua-

ria illa electione nobilem Lithuanum se habuisse, suo illo vniuersali, vt vocant ipsi, testati sunt. Quum autem senatorum paucitatem obiiciunt; non videntur meminisse, in Stephani electione multò pauciores se senatores habuisse: illius quoq; obliti sunt, quod tum plenis buccis clamitabant, & in hoc quoque scripto non obscurè significant; nobilitatis æquale ius & regis eligendi parem esse potestatem; qua in re sibi ipsis repugnant, vt sæpè aliàs in hoc scripto.

Quòd autem Electores eiusdè ferè familie omnes fuisse asseritur; id ex odio priuatorum quorundam dicitur: & subscriptorum atque aliorum plurimorum, qui M<sup>tem</sup> suam elegerunt, nec tamen subscriptionem nominum suorum necessariam esse iudicauerunt, testimonio refutari potest; qui familie illi, quæ innuitur, nullo cognationis, nullo sanguinis, nullo necessitudinis vllius vinculo adstricti sunt.

Quod dicitur multos ad Succia principem confluisse, contra id verè quoq; affirmari potest,

rest, multis partibus plures numero esse eos, qui illum pro rege non agnoscunt, sed ser<sup>mum</sup> Maximilianum regem volunt: quod & literis infinitorum ostendi potest: & protestationibus in omnibus ferè Palatinatibus interpositis demonstrari. Quòd si regiae M<sup>ti</sup> visum fuisset per totum regnum ita vagari, & non potius huc rectà contendere, tùm verò sine omni dubitatione innumerabilis horum multitudo, tum ex Polonica, tum Lithuanica, atq; aliarū regni partium nobilitate, eius M<sup>tem</sup> sequuta fuisset, & ad coronationem deduxisset.

Quod autem ad particulares illos conuentus, quibus regiae M<sup>tis</sup> electioni derogatum volunt, attinet; satis apertè intelligi potest, eos, qui regiae M<sup>tis</sup> partes sequuntur, non alia certè de causa frequentes ad illa conuenticula conuenire noluisse, nisi vt ne R. M. certum atque indubitatum ius, ac legitimam electionē, in controuersiam dubiumque reuocare; suaq; praesentia, contrarias illas dignitati & reip. saluti consultationes comprobare; aut vllum omninò aliud iustissimæ suæ causæ prauidicium ad-

um adferre voluisse viderentur. Itaque dicta illa conuenticula, aut prorsus contempserunt, aut satis esse iudicârunt; si primariæ nobilitatis & authoritatis viros eò ablegârunt, qui contra illorum decreta protestationes interponerent, ac nulla esse profiterentur. Id autem ita clam fieri non potuit, quin omnibus, præsertim verò iis, qui reip. gubernacula tractant, ignotum esse debuerit. Quare ridiculum est eorum hac in re ignorantiam prætendi, quum vel in duobus maioris Poloniæ Palatinatibus penè bis mille nobilium (vt alij regni palatinatus prætereantur) protestatio interposita fuerit, contra malas quorundam molitiones, qui nobilitatis priuilegia, & libertates, quas regia M<sup>tas</sup> saluas vult, opprimere & tyrannidem in nobilissimum & liberrimum regnum introducere omnibus artibus conantur.

Ad eos quod spectat, qui Cracouiæ, coram regis M<sup>tis</sup> oratoribus, minis, ac vi, ad subscriptionem se fuisse adactos; alios item, qui à priori sententia sua se discedere, atq; eos homines, qui aliquorum partim inuitorum, partim iam

mor-

mortuorum nomina inter suffragatores relata, sine pudore affirmare non dubitarunt; ij certè non satis digni videntur, quibus respondeatur; cum ipsa eorum oratio, qua turpitudinem suam detegunt, quali sint ingenio præditi, & quantum talibus sit tribuendum, satis apertè cuius demonstrat.

Conuentus ad Mogilam indictus, & iam etiam absolutus; qualis fuerit, res ipsa suo tempore declarabit. In vniuersum illud dici potest, esse hos quoque pari nobilitate cum aliis, qui ab eis dissentiunt: fratres eorum & consanguineos: eadem libertate, eodem iure, iisdem priuilegiis vti frui. Quare indignum est eos, qui nūc Cracouiæ inclusi sunt, ludibrio æquales & consanguineos suos habere; eisque, qui non nobilitate, non vllis rebus aliis, quæ quidem aliquam laudem mereantur, illis cedunt, insultare voluisse.

Quod ad Marscalcū curiæ attinet, qui comitia illa edixit; id ille non sua propria, sed cōmuni omnium voluntate fecit: neque quen-

B

quam



quam iam latere potest, quemcumque ille locum in senatu obtineat, aut quocumq; in eum tempore receptus sit; parem ipsi ex legū præscripto, cum regni Marscalco, si ille absit, auctoritatem competere.

Quod ad præmittendos legatos, ante aduentum suæ M<sup>tis</sup> in regnum attinet, præterquã quòd id factum esse iam memoria iis excidisse videretur, qui omnia odiosè ad vnguem reseruant, & omnia carpere in animum induxerunt, illud responderi potest; eo loco natam atque educatam esse regiam M<sup>tem</sup>; vt, quid dignitatis suæ fuerit, quæ hoc tempore postulauerint, per se satis intellexerit; vt nullo aut monitore, aut magistro opus habuerit.

De armato comitatu, illud ipsum breuiter repeti potest, quod legati M<sup>tis</sup> regię ostenderunt, armatos istos nō ad vim inferendam, sed propulsandam adductos esse: idque honoris potius & officij, quàm bellandi causa: quum tantum principem nudum, atq; penitus inermem, in hoc regnum progredi non decuerit.

Ab om-

Ab omni autem vi in hunc diem M<sup>tem</sup> regiam  
se, suosq; cohibuisse, etiamsi sæpenumerò la-  
cessita fuerit, vel illud ostendit, quòd tot septi-  
manas, penè in otio fuerit: & ad moderata ac  
pacifica consilia, toto animo incubuerit: pati-  
enter, & paterno planè affectu, interea expe-  
ctandò; si fortè ij, qui tam obstinatè, ac sine  
ylla causâ M<sup>ti</sup> suæ reluctantur, ad officium re-  
uocari possent. Poterat certè M<sup>tas</sup> sua, Dei  
auxilio, & Cracouiam, & alia loca interea ex-  
pugnare, & diuexare; sed pietati & bonitati  
suæ consentaneum esse iudicauit, omnia pri-  
us experiri, quàm ad hæc talia remedia descen-  
dere, quibus vsus esse solet, contra pertinaces,  
& patriæ publicæque salutis hostes.

Illud autem, quod ab aliquo impudentissi-  
mo homine confictum, & in hoc scriptum, ad  
quod nunc respondetur, temerè coniectū est,  
submissum scilicet aliquem fuisse, qui etiam  
supplicio affectus fuerit, qui aliquã vrbis par-  
tem incenderet; tam est putidum, tam ab om-  
ni veritate, atque adeò à M<sup>ris</sup> suæ bonitate ali-  
enum; vt refutatione nulla indigeat.

Quum M<sup>ti</sup> regiæ visum fuerit urbem istam  
aggredi (quod certè tandem facere eam oportebit, si adhuc obstinatè se excludi sentiet) aliis eam machinis adoriectur, aliis viribus, non priuati alicuius incendiarij opera. Sed hæc calumnia persimilis est illis, quæ multæ ex sermonibus, & literis, falsò & procaciter passim diuulgatæ per regnum sunt: in quibus illud etiam sine omni verecundia affirmatum fuit, M<sup>tem</sup> regiam ad interneccionem cum exercitu suo fusam & profligatam iam ex regno profugisse: item in eas iam angustias redactâ esse, vt missionem ex regno supplex petat, modò eam impetrare possit; sed frustra id eam petere ab eo, qui harum & similium calumniarum, ac sibi, patriæque perniciosorum consiliorum Architectus & author præcipuus esse dicitur.

Inclytam domum Austriacam, & M. S. regiam, in honore à se haberi, quod Cracouien. status & ordines affirmant, verbo quidem id dicitur; cæterùm res ipsa planè contrarium euincit.

Quod autem ipsorum consilio, & mandato, in

to, in vicina Silesia, contra pacta & fœdera, incendiis, & direptionibus, aliquot loca iam vastari cœpta sint; id in quam partem S. Cæs. M. & alij confœderati principes accepturi sint, tempus indicabit.

Sed non placet regiæ M<sup>ti</sup> pluribus ad scriptum istud hoc tempore respondere: suum autem ius, & electionem, re ipsa magis quàm verbis asserere cogitat, præsertim accedente tanta nobilium, & primariorum virorum, vtriusq; nationis, Polonicæ & Lithuanicæ, consensu & vnanimi voluntate.

Calumnias verò istas, & criminationes infinitas, quas aliquos harum ineptiarum fabricatores effutire non pudet, tempus ipsum & veritas in apertum proferet, & Deus ipse summus innocentia patronus vindicabit.

Cæterùm, status, & ordines nunc Cracouia congregatos, benigna M<sup>ras</sup> regia hortari iterum atque iterum voluit; vt si se, vxores, liberos, fortunas suas, ciuitatemq; ipsam saluam cupiunt, intra hos paucos dies (dum tem-

pus, & occasio adhuc fert) vt urbem M<sup>ti</sup> suæ  
pandant, eamque pacificè recipere in eam po-  
tius, quàm extrema omnia perferre velint. Id  
si fecerint; & de se, & de patria sua, & de M<sup>te</sup>  
regia optimè mereri, & omnem M<sup>tis</sup> suæ gra-  
tiam & benevolentiam, certissimè expectare  
poterunt. Quos S. M. regia valere optat, su-  
amque illis gratiam defert. Mogila xix. No-  
uembris, Anno Lxxxvij.

## ORDINVM REGNI POLONIAE

*Ad sereniss. Archiducem Maximilianum epistola.*

Sereniss. princeps, domine obseruandissime.

**C**VM responsum hoc ad ser<sup>tis</sup> V. scriptum  
iam paratum haberemus, in eoque esse-  
mus; vt ad ser<sup>tem</sup> V. id mitteremus; vis à ser<sup>te</sup> V.  
heri nobis facta, quominus tum id fieret, nos  
retinuit. Cuius quidem eum exitum Deus esse  
voluit, qui iniustæ vis esse solet; quemque in  
posterum etiã futurũ non dubitamus. Nunc  
cũ in eo scripto, de iure suo iterum ser<sup>tis</sup> V.  
pluribus disputãrit, committendum non pu-  
taui-

taurimus, quin responsum hoc nihilominus ad  
ser<sup>tem</sup> V. mitteremus; vt an huiusmodi iure fre-  
ta, quale se habere, etsi iam ante etiam satis  
perspexit; ex hoc tamen scripto amplius etiam  
perspicere poterit, hominibus liberis vim face-  
re debuerit, diligentius secum perpendere pos-  
sit. Quod reliquum est: ser<sup>ti</sup> V. optimam vale-  
tudinem, consiliaque iustitiæ, ac publicæ salu-  
ti consentanea optamus. Craco. die 25. men-  
sis Nouemb. An: Dñi. M. D. Lxxxvij.

## E O R V N D E M O R D I N V M

*ad superius scriptum responsum.*

Ser<sup>me</sup> princeps, dñe obseruandissime.

**E**T si neque legationibus, neq; scriptis am-  
plius cum ser<sup>te</sup> V. agere in animum indu-  
xissemus: quòd illis parum nos proficere apud  
ser<sup>tem</sup> V. animaduertebamus: in his autem iis  
verbis tractari nos videremus; quæ non mo-  
dò animos hominū magis alienarent, verum  
quibus nos etiam respondere à dignitate no-  
stra alienum statueremus: tamen, cum denuò  
nouum scriptum hoc ser<sup>tis</sup> V. Mogila ad nos  
mis-

sum esset, committendum non putauimus, quin breuissimè saltem illi responderemus. Ac de iure quidem electionis fer<sup>tis</sup> V. ne nos quidem amplius dicendum nobis putamus, quam iam antè dictum est: satisque grauem omnium earum rerum, quomodo & ab initio actæ sint, & nunc administrantur, testem, cum aliorum omnium, tum nostram conscientiam habere nos putamus. Ad ea autem, quæ de loco, atque de Archiepiscopi iure fer<sup>tas</sup> V. repetit, ultra ea quæ non iuueniliter, sed ex omnium ætatum memoria iam sæpè à nobis demonstrata sunt; id breuiter dicimus. Ius electionis, non ad certum aliquod loci vestigium alligatum esse notius est; quam ut quisquam, qui aliquantulum in institutis reipub. huius versatus sit, dubitare de eo possit: sed est tamen certa quædam eius rei ratio ac modus. Ita enim in loci iure nihil positum est, si ij, qui loco ab aliis seiuncti sint, consilia tamen sua ab aliis, quantum in se est, non seiungant; sed cum è loco paululum recesserint, animis tamen atque voluntate vnà cum aliis coniuncti esse cupiant. quæ cum non modo nunc in hac fer<sup>mi</sup> Sigism. III. regis electione

à no-

à nobis: verum antè etiam in electione Henrica, & proximo post eam interregno sub Stefania, cum versus Secechi maxima pars nobilitatis secessisset, omnia præstita sint: ab iis autem, qui in D. parentis ser<sup>tis</sup> V. electione a nobilitate discesserant, omnia secus administrata fuerint, non mirum ser<sup>ti</sup> V. esse debet; si eiusdem quidem rei, diuerso tamen consilio & ratione administratæ, non idem ius esse statuatur. Illi enim, qui D. parentem ser<sup>tis</sup> V. nominarunt, cum sententiæ diuersæ essent; de iis autem ciuilitè sine vlla verborum iniuria atque contumelia ageretur, inque posterum diem ulterior deliberatio expectaretur; nulla graui causa adducti, præter omnium expectationem secesserunt: locum ceperunt: eundem armatis hominibus statim secesserunt: ex eoque legatos ad nobilitatem miserunt. qui, priusquam e consilio nobilitatis discessissent, alij non expectata sententiâ nobilitatis, eodem die quo secessionem fecerant, ad nominationem processerunt. Nos ita alium locum cepimus; vt & grauissimam eius rei causam haberemus; & de instituto omni nostro, publicè omnes prius

C

doce-





doceremus: ad consilia autem communicanda, diutius, quam per integram septimanam, alios inuitaremus; quæque inter nos agerentur, quotidie illis denunciaremus: ita vt, quæ in singulas ferè horas apud vtrosque fierent, neminem fugeret; omninò vt nihil interesset, quam si vno atq; eodem in loco res gesta esset. Præterquam quidem, quòd antequam ad nominationem etiam accederetur; an eo loco regem renunciari placeret, nominatim à Marscalco regni ordines rogati, exque omnium tam fenatorum, quam aliorum, qui ex nobilitate aderant sententia, antequam rex renunciaretur, locus etiam legitimus renunciatus fuerit. Eadem autem ferè ratio Archiepiscopi prærogatiuæ est. Ita enim Archiepiscopus princeps senatus est; vt omnium quidem ordinum studiis ac voluntati præire debeat; seiungere autem ab iis non se debeat: neq; authoritatem suam retinere possit; si omnium ordinum authoritati ipse se opponat. Quare, si qui aliquando ex iis exstiterunt, quod tamen vix semel atq; iterum accidit, qui contra vniuersæ nobilitatis consensum pugnarent; nobilitas in rege creando

ando sua tamen libertate & arbitrio vsa fuit. Itaque D. Stephanum, à Nicolao Sieninſcio, Succamerario Chelmenſe, regem declaratum non inficiamur: ſed eodem Marſcalco nobilitatis, quem coniunctis animis nobilitas vniuerſa Marſcalcum prodiderat: ita deinde, vt vniuerſa nobilitas præſens renunciari eum iuberet: cùm ſer<sup>tas</sup> V. ita ab Epifcopo Kiouienſe nominata fuerit; vt magna pars nobilitatis, etiam ex iis, qui ad illud tempus conſilia cū illis communia habebant, præfertimque, qui ſpe de Moſco ducti fuerant, in iisque Lithuani, præſentes nominationi ei contrauenirent. Neque tamen ea re iuri atque dignitati Archiepiſcopi quicquam derogatum fuit: ſed Archiepiſcopum, non priuata authoritate, ſed ex omnium ordinum conſenſu reges nominare oſtenſum; quod maximè in Ioannis Alberti electione apparuit: contra quam, cùm Archiepiſcopus ſummis opibus niteretur, omnium tamen ordinum conſenſu victus; non modò ab eo ſe non ſciunxit, ſed eundem, à quo diſſentebat, inſignibus etiam regni initiari non dubitauit; cùm cōtra animi ſui ſententiam id ſe fa-

cere publicè testaretur: plus autem quàm su-  
am authoritatem vniuersę nobilitatis consen-  
sionem valere debere, simul ostenderet. quę,  
cùm ab huiusmodi Archiepiscopo, qualis præ-  
sens hic est, qui nimirum nihil præter dignita-  
tem atque libertatem publicam propositam  
habeat, omniaque consilia sua ad salutem pa-  
trię atque omnium consensum referat, pro-  
nunciatur; eò illustrior ac testatior est, quàm  
si per alium eadem declaretur. Idem etiam de  
senatoribus ferè dicere possumus: quos om-  
nes ferè tam sacri, quàm ciuilis status ser<sup>mi</sup> Si-  
gism. regis partes sequi ser<sup>tas</sup> V. quemadmo-  
dum neque potest, ita scripto etiam illo non  
diffitetur. Vt enim aliis in rebus, ita maximè  
in electione pari reliquam nobilitatem cum  
senatoribus iure vti non negamus. Itaque se-  
natus quidem, sine maximę partis, id est nobi-  
litis consensu, inuitis regem imponere non  
potest: cum autem ad senatus authoritatem  
aliorum omnium consensus accedat; quanto  
is firmior atque maior sit; facilè ser<sup>tas</sup> V. intel-  
ligit. Nos verò, non solùm senatorum, verùm  
maximè etiam nobilitatis consensu destitui  
fere-

fer<sup>tem</sup> V. ostendimus. Tota igitur res eò recidit, quod iam sæpè dictum à nobis est, omne electionis ius, in omnium ordinum consensu ponendum esse: de quo cùm constet, frustra de aliis rebus disputari. Quod ius, cùm ratio, ac res ipsa, in huiusmodi causa omnibus præscribat; apud nos tamen scripta etiam lege, cuius antea etiam facta mentio à nobis est, constitutum est. disertèque latum, non renunciatione cuiusquam, vel nominationem; sed omnium consensum, reges apud nos facere. Itaque in scripto etiam eo, quod fer<sup>tis</sup> V. nomine ad nos allatum est, variè modò in fer<sup>tem</sup> V. omnium consensum trahi videmus: modò agnosci quidem eum pro fer<sup>mo</sup> Sigism. rege, verùm variis modis eleuari. Ad quæ, cùm magna ex parte iam antè responsum à nobis sit; nihil hoc loco amplius respondendum putamus. Ad reliqua saltem scripti eius capita, quæ responsione aliqua opus habere videntur, breuiter respondebimus. De Lithuanis ita se rem habere, quemadmodum à nobis narrata est; non modò proceres Lithuanici ipsi testari poterunt, verùm eorundem etiam plerorumque ad fer<sup>mum</sup> Si-

gism. regem profectio iam ostendit: aduentusque cum eo breui declarabit. Qui ser<sup>tem</sup> V. nominarint, vnus plerosque familiae esse: paucissimos denique esse, non modò nos, verum res ipsa loquitur. Misit ser<sup>tas</sup> V. ad nos per eundem tibicinem, per quem scriptum id missum fuit, confirmationem electionis suae, nonnullorum signis obsignatam. Vt de re ipsa, totiùsque eius rei autoritate iam non disputemus; id saltem dicemus, nullorum aliorum signa, aut chirographa animaduertere nos potuisse, quàm qui ab initio ser<sup>tem</sup> V. nominarint; quorum tamen nonnullos die, qua contra omnem morem acta ista & signata scribuntur, non adfuisse intelleximus. Quàm nouum autem sit, vnus actionis eosdem & actores, & confirmatores esse; facile ser<sup>tas</sup> V. ipsa aestimare potest. Quòd multis partibus plures esse dicitur, qui ser<sup>mum</sup> Sigism. regem nò agnoscant, ser<sup>tem</sup> autem V. regem velint, cum verbo affirmetur, non modò verbo à nobis negatur, sed res ipsa etiam refutat. Neque enim vel ij soli ad ser<sup>mum</sup> Sigism. regem confluunt, ad quos itinere suo ille peruenerit; cum ex re-

motis-

motissimis regni partibus frequentissimi ad eū  
conueniant: neq; non eodem modo ad ser<sup>tem</sup>  
V. etiam ex dissitis locis conuenire possent, qui  
ser<sup>ti</sup> V. studia sua addixissent, quo nonnulli e-  
ius nominatores conuenerunt, si qui præter  
eos ser<sup>tis</sup> V. nominationem sequerentur. Par-  
ticulares conuentus, propterea nō obiisse suf-  
fragatores ser<sup>tis</sup> V. ostenditur; ne ser<sup>tis</sup> V. cer-  
tum atque indubitatum ius, ac legitimam ele-  
ctionem in controuersiam dubiumque reuo-  
carent. Ex eo, quanto firmiter atque indubita-  
tius alterius partis ius fuerit, ser<sup>tas</sup> V. conicere  
potest, qui suffragationem suam vniuersæ no-  
bilitatis iudiciis, omnibusque conuentibus, ad  
quos præsertim ser<sup>tis</sup> etiam V. suffragatoribus  
venire integrum fuit, committere non dubitâ-  
rint. Est enim illud certè, vt quàm lenissimè  
dicamus, fugientium: hoc, iure & causa sua, fi-  
dentium. De protestationibus, quæ clàm in-  
terpositæ dicuntur, idem, quod antè, dicimus;  
si quæ obiectæ sint, non plus quàm vnius atq;  
alterius dissensionē in omnium consensu vale-  
re eas posse. Nam quod de bis millium ferè  
nobiliū in duobus maioris Poloniae Palati-  
natibus

natibus protestatione dicitur ; primùm publicè, quid huiusmodi actum esse, non inaudiuimus : deinde verò non contra electionem; sed contra molitiones quorundam interposita dicitur. quæ, quid cum electione commune habeant nescimus : multò magis autē, an in rep. legibus constituta contra molitiones, si quæ existant, subscriptionibus huiusmodi, ac non iudicio publicè agi vel soleat, vel debeat, ipsi considerent. verùm quemadmodum ostendimus, neque qualis illa protestatio sit: neq; quo loco, aut tempore facta dicatur: aut quibus de rebus, scimus. quòd si exhibita fuerit, si quid ad nos pertinere visa fuerit, cùm viderimus eā, respondebimus. Huiusmodi autem ratio protestandi, cùm in illis scripto eo probetur, qui vel pro ser<sup>te</sup> V. vel contra alios protestati dicantur; miramur eandem libertatem iis, qui coram ser<sup>tis</sup> V. legatis non tam protestati sint, quàm quomodo tota res acta, professi, eodem scripto turpitudini ac vitio verti. Conuentum ad Mogilam, absolutum esse intelleximus: & etiam à quibus, & quomodo peractus sit. Nam quòd eosdem, qui conuentum illum peregerint,

rint, pari nobilitate, ac iure, fratresque ac cō-  
sanguineos nostros esse dicitur; id nos de iis,  
quorum ius, vel iudicio aliquo, vel aliis modis  
imminutum sit, quorum nō paucos cum ser<sup>te</sup>  
V. esse scimus, non recipimus. Alios autem,  
qui integro & iure, & existimatione sint, ita pro  
fratribus habemus, si ipsi fraternè se erga nos  
gerant; id est, si primū, cū fratres nostri  
sint, ius aliquod in nos, qui pari iure sumus,  
non vsurpent; multò minus autem pauciores  
in plures: deinde verò, si illegitimè, atque con-  
tra ius, & exempla maiorū nihil statuunt: ma-  
ximè autem, si ab omnium consensu atq; rep.  
quæ communis omnium nostrum parens est,  
non se seiungant. quæ omnia secus ab illis, &  
aliàs, & nunc facta sunt. Etenim, vt quomo-  
do conuentus hic indictus sit, nūc solum quæ-  
ramus; ita certe indictū ser<sup>tas</sup> V. reperiet, quo-  
modo nullus vnquam in Polonia conuentus  
habitus fuit. primū vnus ferè autoritate;  
de qua tamen ne nobis quidem multis dispu-  
tare libet: sit sanè ita, vicarium illum, regni  
Marscalci munus sustinere: conuentum ta-  
mē publicum, ex propria autoritate, vel pau-



cissimorum quorundam autoritate, non modo senatori cuiquam, sed ne regi quidem habere permissum est. Iam verò, non id solum questi sumus, quòd vnus autoritate is indiceretur: sed quòd contra omnium temporum morem, atque exemplum, libertatemque publicam, particularibus per Palatinatus conuentibus prius non habitis, vllum conuentum quisquam habere, vel simulandi causa in animum inducere potuerit. Ne iam qui, & quot illi interfuerint, inquiramus: cùm id & subscriptiones eorum ostendant, & eiusdem rei mutua conscientia testis vnicuique eorum esse possit. Vt taceamus etiam ita peractum; vt in ple-riusque prouinciis, ac locis, nihil de cõuentu eo sciri posset: omnia denique, quæ agitata ac suscepta in eo sint, contra morem, consuetudinem, legesque atque iura omnia regni huius, suscepta ac perscripta esse. Ita, vt totam reip. formam atque rationem, penitus conuersam & immutatam voluerint. De legatis præmittendis, si fer<sup>tas</sup> V. monitore nullo opus habet; at libertas, ac salus nostra, cura certè huiusmodi, quæ à nobis adhibetur, opus habet: regnũ

verò hoc, huiusmodi etiam rege, qui non modò monitores libenter audiat, verum ex præscripto legum nostrarum audire etiam debeat. An pacatè ad nos ser<sup>tas</sup> V. venerit, dubitationem habere non potest: cùm quid actum sit, quidque fiat, non modò res ipsa, verum oratio etiam scripti huius sua spontè ostendat. Nam, vt de extrema parte eius, ad quam paulò post respondebimus, taceamus; cùm non ad inferendam vim, sed propulsandam, militè secum duxisse se ser<sup>tas</sup> V. ostendat; plurimos certè à sua electione dissensisse, contra quos se muniret, non ignorasse se profitetur. Contra eos autem, cùm se armaret, quid aliud cogitauit; quàm quod & nunc cogitare se significat, apertèque ad eò denunciat, etiam maxima parte inuita, armis regnum se occupare velle? Neque enim, vel contra paucissimos ser<sup>tas</sup> V. armis opus habuisset: neque nunc etiam Cracouiæ saltem nō plures ferè omnium ordinū sumus, quàm ser<sup>tas</sup> V. in vniuersum suffragatores habeat. præter eos, qui cùm ser<sup>mo</sup> rege nostro, partim iam sunt, partim per vniuersum regnū authoritatem eius sequantur. Quomodo au-

tem in hunc etiam diem à vi, qui fer<sup>is</sup> V. sectā  
sequuntur, se, atque suos cohibuerint; res ipsa  
nobis tacentibus loquitur. Non modò oppi-  
da nonnulla, quæ tamen pro eo titulo, quem  
fer<sup>as</sup> V. vsurpat, maximè tueri debebat, dire-  
pta; verùm templa etiam vexata, ac spoliata  
sunt: cum senatorii ordinis, tum complures  
alij homines nobiles, vel ætate, vel valetudine,  
vel etiam voluntate à turbis hisce remoti subi-  
tò oppressi: domusque, ac res eorum direptæ:  
ipsi in captiuitatem abducti: ne dicamus iam,  
ne sexus quidem aliquando, atque orbitatis  
rationem habitam, ac ne à viduarum quidem  
bonis direptionem cohibitam: alij ex itinere  
excepti, vel aliàs nihil tale expectantes capti  
fuerunt; inter quos legati nonnulli nobilita-  
tis, maximèque Stanislaus Kierski, Posnaniens-  
is Palatinatus legatus: tum ecclesiastici qui-  
dam; qui certè neque arma vlla contra fer<sup>tem</sup>  
V. tulerunt: & cum à bello semper absint, à  
periculo etiam belli omnium gentium iure ab  
esse, & soleant, & debeant. Incendiarium à  
fer<sup>e</sup> V. immissum esse non significauimus: nō  
ita male de fer<sup>e</sup> V. principe eo loco nato sen-  
timus:

timus: ex exercitu eius immiffum ostendimus  
qua de re mittimus fer<sup>ti</sup> V. ex actis publicis  
ipfius malefici profeffionem; vt qua fide id à  
nobis commemoretur, ipfa æftimare poffit.  
Quod ad alia attinet, quæ à nobis de fe fer<sup>tas</sup>  
V. fparfa queritur, legationem legati fer<sup>tis</sup> V.  
Baronis ab Herberftein perfcripiffie nos me-  
minimus: qua is publicè à nobis petiit, vt ipfi  
rationem aliquam reperiremus, qua vel hone-  
ftè in regno manere, vel cum dignitate ex eo  
excedere fer<sup>tas</sup> V. poffet. verùm & tunc legati-  
onem eam cum literis, quas afferebat, non cõ-  
uenire mirati fumus: & nunc fer<sup>tem</sup> V. id, quod  
publicè ab illo actum effet, à nobis perfcriptũ  
effe, in aliam partem accipere. cùm tamen in  
extremo literarum earum, & quædam coram  
nobis expositurum fignificãrit: & vt in iis fi-  
dem illi haberemus, à nobis postulãrit. Quod  
fi vel fama, vel aliorum hominum fermo, vt fi-  
eri folet, quædam hifce affinxit; non nos præ-  
ftare id debemus. Ad Silefiæ iniurias, quod at-  
tinet, grauiorem nos caufam querendi de po-  
pulis illis habere nos exiftimamus: verùm nõ  
huius loci, & temporis id effe videmus. Nunc

quod ferti V. placet, idem nobis etiam maxime videtur, ne pluribus verbis amplius hac de re disputemus. Quamuis impar quidem contentio ea est. Qualibus enim verbis scriptum id refertum sit, quilibet iudicare poterit. Verum non poenitet nos modestiae nostrae: atque ut causa, ita ratione etiam agenda causae, cum omnibus nos probare. Quod ultimo loco omnium charissimarum rerum periculo ad deductionem nos fertas V. hortatur, huiusmodi est; ut cum causa, atque iure nostro, cui nunquam Deus deesse solet, tantum confidamus; tum vero non ita etiam vel fertis V. vel nostrarum rerum imperiti simus, ut eo terreamur. Itaque quod longè iustius nos facere arbitramur, ut ipsa potius non modò suae, verum vniuersae reipub. christianae utilitatis rationem habeat: neque in grauius discrimen, quam adhuc factum sit, cum regnum hoc, tum vicinas ditio- nes, atque magnam fortassis partem christi- anitatis coniiciat, exque regno excedat, iterum eam hortamur. Quod reliquum est, Deum, quem & fertas V. summum innocentiae patro- num profitetur, eundem nos inuocamus; ut  
qua

qua mente, & ratione, ab initio quisque in cau-  
sam hanc ingressus est, & deinde in ea versa-  
tus; ita exitus consiliis cuiusq; respondere velit.  
qua quidem de re, nihil omnino dubitamus.

Studia autem, atque officia nostra paratissi-  
ma aliâs ser<sup>ti</sup> V. deferimus. Cracouia

die xxj. meñ. Nouemb. Anno

Domini, M. D.

Lxxxvij.




... in eam  
... hanc ingressus est, & deinde in ea versa  
... exitus consilii eius respondere videtur  
... de re nihil omnino dubitamus  
... officia nostra parati  
... V. deferimus. Cracoviae

die xij. mens. Novemb. Anno

Domini, M. D.


LXXXVII.












JMB



24.04.84. M.F

Time 6.06 AM

Location 20.1.84 W

\*KSIĘGARNIA\*  
ANTYKWARIAT



Scripta inter. sen. pri.



scrippta inter ser. prii

scrippta maxim

scrippta

1262